



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Illvstrivm Miracvlorvm Et Historiarvm Memorabilivm Lib.
XII**

Caesarius <Heisterbacensis>

Antverpiae, 1605

De monacho idiota, qui in somnis accepit scientiam praedicandi, cap. 3.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13177

Vbi sunt socij cui? Respondit: Hodie fui in Ierusalem, & reliquerunt me ibidem præcedentes me, & non considerunt ei, dicentes: Senex iste delirat: qui statim concium subsannationes declinans, cum pecunia, quæ ei supererat ex gratia cœlestis conuectoris, limina beati Iacobi Apostoli petiuit, & antequam socij eius redirent, ipse rediit. Dupli ergo testimonio glorificatus, peregrinorum videlicet, quod in Pascha in Ierusalem sit relictus; & concium, quod die sequenti in Elselo sit visus, ab utrisque magnificatus est Dominus tanta miracula vbiique diuulgates. APOLLONIUS: Si Gerhardus de Hollenbach, sicut dictum est in distinet. octaua, cap. 58. translatus est in ictu temporis ab India in prouinciam nostram, ministerio diaboli, Dei tamen præcepto, non hoc miror de cœlesti nuncio. Antiqua nostris temporibus renouantur miracula: Helias Thesbites per currus & equos raptus est in paradisum; hic verò non minus miraculosè, per equum & equitem, in morula temporis, transuectus est per multa spatia maris atque terrarum. CÆSARIUS: Ego tecum sentio. Audi nunc aliqua de personis ordinis nostri miracula.

CAPUT III.

4. Reg. 2.

RElatione quorundam Abbatum ordinis nostri didici, quod iam dicturus sum: Monachus quidam per visionem nocturnam in cœleste templum se transpositum vidit, in quo alba & stola indutus, coram Domino Euangelium legit: erat enim Diaconus, & idiota. Qui cùm legendi benedictionem postulasset a Domino, huiusmodi responsum accepit: Ab hac hora habeas scientiam, & virtutem prædicandi verbum Dei, quotienscumque tibi fuerit injunctum. Lecto verò Euangeliō, euigilans intellexit quod somnium esset. Miratus tamen de tam manifesta visione, dicebat intra se: Hodie lecturus es Euangelium ad Missam, si eiusdem coloris inuenieris stolam, qualē in cœlo vidisti, vera est visio. Nutu verò Dei factum est, ut a sacrista stola consimilis exponeretur: mox de visione quasi certificatus, quid viderit Abbatii ex-

PPS posuit,

posuit, à quo iussus loqui verbum Dei, usque hodie
impræmeditatè, tam excellenter, & tam efficaciter
illud exponit, vt omnes auditores suos in stuporem
conuertat: aliis siquidem temporibus nullius est litte-

3. Reg. 3. raturæ. APOLLONIVS: Miraculum Salomonis, qui in
somnis scientiam accepit in isto resultat. CAESARIVS:

1. Reg. 2. Deus enim scientiarum dominus est: aliis scientiam,
vt dictum est, miraculosè conferendo; aliis nō minor
miraculo habitum subtrahendo.

CAPVT IIII.

Abbas de Lapide sancti Michaelis, tempore
capituli generalis, per Hemmenrode trahēs,
casum mirabilem nimis ibidē recitauit. Fuit
apud nos, inquit, clericus bonæ admodum literatu-
ræ: hic cùm die quadam in vena sanguinem minue-
ret, sic omnem scientiam scripturarum perdidit, vt
eam per sanguinem effudisse videretur. Litteram ab
illa hora non cognouit, latini sermonis, nec unum
quidem verbum intelligere, vel proferre potuit; & vt
noueritis priuationem sensus non fuisse in causa, sed
diuinam potentiam, omnium rerum priùs habitarū
plenè retinuit scientiam. Qui cùm tam mirabilem
litteraturæ suæ iacturam cum dolore multis exposui-
set, quidam ei suasit, dicens: Anno reuoluto, eodem
die, & eadem hora, iterum minus, fortè subtracta re-
cipies. Quod cùm fecisset, scientiam pristinam rece-
Psa. 117. pit. A Domino factum est istud, sicut & præcedētia, &
est mirabile in oculis nostris. Aliis etiam per alios Do-
minus tribuit gratiam sanitatum.

CAPVT V.

IN Eberbaco Conuersus quidam extitit, homo
simplex & bonus, ætatis decrepitæ: huic Dominus
tantam contulerat gratiam, vt tactu manus eius, di-
uersæ infirmitates fugarentur: quod ubi secularibus
compertum est, ex utroque sexu, tam diuites quā pau-
peres, gratia sanitatum ad monasterium confluente,
virtutem benedictionis eius senserunt. Ex quorū con-
cursu videns Abbas fratrum quietem turbari, & do-
mum in expensis non modicum grauari, eidem Con-
uetlo,